



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. Quid sit existentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)



DISPUTATIO XIV. DE NATURA EXISTENTIÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Existentiæ?

SECTIO PRIMA.

Sententia Aduersaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, existentiam ut sic, prout abstrahit à creata, & increata, sic esse definiendam: Existentiæ est ratio formalis per quam vnaquæque res constituitur extra causas in actu. Probatur 1.

Quia res ex vi possibilitatis est intra causas: ergo ex vi existentie constituitur extra illas. Consequentia patet; quia opposita oppositis rationibus constituuntur; sed possibilitas est opposita existentie, & constituit rem intra virtutem causarum: ergo existentia constituit rem extra causas.

Secundo, quia nihil aliud est rem existere, quam rem esse actuale; sed rem esse actuale est extrahi à possibilitate, quam à potentia suarum causarum: ergo existentia est ratio formalis per quam extrahitur res à potentia causarum.

SECTIO II.

Nostra Sententia proponitur.

PRIMA conclusio; existentia ut sic, prout abstrahit à creata & increata, non est ratio formalis per quam res ponitur extra suas causas. Probatur sic; 1. Quia quicquid conuenit essentialiter Superiori, conuenit essentialiter omni contento sub illo; sed definitio illa existentie ab Aduersariis posita non competit omni contento sub existentia ut sic: ergo non est definitio essentialis existentie ut sic, prout abstrahit à creata; & increata: consequentia est manifesta; ideo enim hæc non est definitio essentialis animalis ut sic; est viuens intellectuale; quia non conuenit omni contento sub animali ut sic; videlicet equo, leoni, &c. Sed definitio supradicta non conuenit omni existentie contentæ sub existentia ut sic; ergo non competit existentie ut sic. Maior prima, & præcipua est euidens secundum illud principium, dici de omni, hoc est, quicquid conuenit realiter Superiori, conuenit omni contento sub illo;

I. P. Tom. I. l.

minor illa est euidens, quia existentia diuina, & increata continetur sub existentia ut sic; sed existentia diuina, & increata non est ratio extrahendi Deum à potentia causarum; quia quod nullas habet causas, sed est omnino independents, nullam potest habere rationem; per quam extrahatur à potentia causarum: ergo non omni contento sub existentia ut sic conuenit esse rationem formalem extrahendi à potentia causarum.

Declaratur amplius, quia quod non continetur intra causas, nullo modo potest extra illas poni beneficio existentie: sed Deus nullomodo continetur intra causas: ergo nullomodo potest extrahi à potentia illarum: ergo existentia Dei non constituit Deum extra causas, ac proinde existentia ipsius non conuenit extrahere Deum extra causas; unde non conuenit talis definitio omni contento sub existentia ut sic. Minor sic probatur; quia id, quod potest contineri intra causas, est id quod habet causas sui esse, intra quarum virtutem possit contineri; sed Deus, ut iam dixi, nullas habet causas: ergo nullo modo potest contineri in virtute causarum. Deinde quia id, quod est extra causas, est extra illas per productionem existentie à tali causa, extra cuius potentiam & virtutem ponitur; sed Deus nullomodo producit à causa aliqua: ergo Deus nullo modo est extra causas: unde definitio extrahendi extra illas non conuenit existentie diuinæ contentæ sub existentia ut sic.

Secundo probatur; quia illa non est definitio recta Superioris, quæ adequate convertitur cum vno inferiori illius, aut cum vno ex membris diuidentibus ipsum; sed illa definitio ab Aduersariis adducta convertitur adequate cum existentia creata, quæ est vnum ex membris diuidentibus existentiam ut sic: ergo non est recta definitio existentie ut sic, pro ut est superior ad existentiam creatam & incretam. Maior patet ex Summulis: minor sic probatur. Nam hæc est vera conuersio; existentia creata facit rem esse extra causas, & id quod facit rem esse extra causas est existentia creata, quia diuina, ut patet ex supradictis, nullomodo potest extrahere Deum à potentialitate, & virtute causarum.

Secunda conclusio: existentia ut sic est ratio formalis per quam res constituitur in esse entis simpliciter; vel aliter est ratio formalis, per quam essentia constituitur in esse actuali simpliciter.

Hæc prima definitio explicatur, & probatur simul, quia res possibilis sine existentia non est ens simpliciter, (ut latissime probatum manet disput. precedenti, & ex dicendis infra amplius patebit.)

A

arqui

atque dum existit constituitur in esse entis simpliciter : ergo existentia constituit rem in esse entis simpliciter ; in Deo autem , quia existentia , essentia , & possibilitas sunt idem omnino simplicissime ex vi talis identificationis , & simplicitatis , quæ reperitur inter essentiam , & existentiam Dei , Deus constituitur ens simpliciter ; ita ut existentia ipsa sit ratio formaliter constituendi Deum in tali esse , sicut sapientia diuina identificata cum essentia Dei simplicissime constituit Deum essentialiter sapientem : ergo existentia quidditative & simplicissime identificata cum essentia Dei constituit Deum essentialiter ens simpliciter , quia existentia Dei est prædicatum essentiale ipsius ; quod aliter evenit respectu creaturæ , cuius existentia non est prædicatum essentiale in ipsa , sed potius metaphysice dicitur prædicatum accidentale , & contingens ; creatura enim potest existere & non existere , in qua saltem possibilitas (ratione cuius verificatur prædicata æternæ veritatis ab æterno , ut v. g. quando dicimus , homo essentialiter est animal rationale) separatur à parte rei ab existentia , quod contra contingit in Deo , in quo nullo modo possunt separari possibilitas & existentia ; nam in Deo idem sunt posse , & actu esse.

8 Secunda definitio explicatur ; quia ratio illa constituens rem in esse entis actualis præcise sumpta satis est ad veritatem huius loquutionis de secundo adiacente , essentia est : ergo illa ratio est vera existentia : consequentia est clara ; nam iuxta communem significationem & conceptionem hominum verbum , est , de secundo adiacente non absoluitur à tempore , sed significat actu esse in rerum natura , quod omnes intelligimus nomine existentie : seu per esse existentie.

9 Dices , de actuali essentia semper vere dici , est , non tamen formaliter ob actualitatem essentia , neque ob illud esse , quo in tali actualitate formaliter constituitur , sed quia nunquam res habet hoc esse absque existentia , tamen distincta sit à tali esse , seu actualitate essentia .

10 Contra hanc autem responsionem probatur antecedens rationis facta ; nam per hoc esse essentia actualis formaliter ac præcise sumptum talis essentia est ens in actu , & distinguitur ab ente in potentia : ergo ex vi illius esse talis essentia est ; recte enim infertur est ens actu : ergo est , quia esse ens actu non diminuit rationem entis , quam includit verbum est : unde etiam si demus hoc esse essentia actualis pendere ab ulteriori termino , seu actu tanquam à conditione necessaria vel ab aliquo huiusmodi , nihilominus tamen illud ipsum esse formaliter constituit ens actu , & distinguit illud ab ente in potentia . Ergo ex vi illius vere , & absolute dicitur res esse , sicut accidens ex vi sui esse dicitur ens actu , & absolute esse , quamvis illud esse requirat inhaerentiam in subiecto , ita ut sine illa naturaliter esse non possit .

11 Confirmatur : quia statim ac res est actualis , & actualiter existit , dicitur extrahi à possibilitate , sed quidquid extrahitur à possibilitate , est ens absolute : ergo ex vi existentie & actualitatis essentia res simpliciter est .

SYBSECTIO. III.

Conclusio ponitur.

12 **E**xistentia ut sic nec est accidens , nec substantia , nec modus , nec res , sed abstrahit ab his omnibus ; nam ut postea dicemus , existentia non distin-

guitur ab essentia , unde unaquæque existentia erit idem quod sua essentia ; sed essentia ut sic abstrahit ab accidentibus , & substantiis , à modis , & rebus : ergo existentia ut sic , quæ identificatur cum essentia ut sic , similiter abstrahit ab illis omnibus ; esse enim quod est existentia æque patet , ac ipsum ens , cum ens ab esse distinctum non sit ; unde sicut ens non pertinet ad certum genus , sed transcendit omnia prædicamenta , ita & esse ; quare si essentia particularis fuerit modus , etiam existentia illius modus erit , & si essentia fuerit accidens , similiter erit accidens existentia ; si vero essentia fuerit substantia , substantia etiam erit existentia , seu actualitas eius , & minime erit accidens , quia per se incredibile est , existentiam substantia esse proprium accidens ; primo quia alias existentia non esset esse simpliciter , sed secundum quid ; unde & generatio , seu productio substantia non esset generatio , seu productio simpliciter , sed potius secundum quid , quia terminaretur ab quodam accidens : generatio enim terminatur ad esse , id est ad actualitatem existentia ut dicitur . 5. *physic. cap. 1.* & hoc aperte probat Augustinus . 10. 5. *lib. 12. de civit. Dei. cap. 10.* his verbis : Sicut ab eo , quod est sapare vocatur Sapientia , sic ab eo , quod est esse vocatur essentia ; itaque ex Augustino ab esse dicitur essentia ; sed essentia substantia non potest esse illius accidens . Ergo esse non est formaliter accidens ; sed esse est existere : ergo existere non est formaliter accidens ; sumit ergo sanctus Augustinus existentiam , & essentiam synonyme ; esse enim apud omnes est existere , ut ex Cicerone , & cæteris Doctoribus linguæ latinæ patet .

Sanctus etiam Thomas præcipue docuit , actualitate , seu existentia constitui rem in suo esse , & hoc esse illi esse substantiale , si res , cuius existentia est , substantia fuerit ; unde . 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. asserit , ipsum esse , seu existentiam esse perfectissimum omnium . Comparatur enim , inquit , ad omnia , ut actus , nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est ; unde ipsum esse est actualitas omnium rerum ; hæc autem non possunt quadrare in accidens . Item 1. p. q. 4. art. 4. ad 3. in corpore . ait , esse , seu existentiam esse actualitatem omnis forme ; non enim ait , bonitas , vel humanitas significatur in actu , nisi pro ut significamus eam esse ; ergo ex sancto Thoma ratio formalis actualitatis est ratio essendi simpliciter , sed per accidens non est res simpliciter actualis formaliter & extra nihil , præcipue si sit substantia creata ; quis enim unquam dixit , hominem esse ens simpliciter , quia est albus , aut quia mouetur ; hæc enim prædicata quia sunt accidentalia , sunt prædicata secundum quid , sed prædicata secundum quid non dant esse simpliciter : ergo existentia quæ dat esse simpliciter homini non est accidens illius , sed potius essentia , & substantia eiusdem .

Præterea ; quia si existentia est accidens , aut est accidens commune , aut proprium ; non primum quia accidens commune potest abesse à subiecto sine ipsius corruptione ; sed existentia non potest abesse à substantia , sine substantia corruptione : ergo existentia substantia non est accidens commune ; neque etiam potest esse accidens proprium , quia proprium consequitur & resultat ex re iam existente , & ideo non per se primo fit per generationem , vel creationem . Deinde quia actus esse debet proportionatus potentia , essentia autem substantialis , præsertim iuxta hanc sententiam , est in potentia substantiali , ut per existentiam actuetur , non potest ergo existentia substantia esse accidens , sed actus substantialis eius . Denique

Quaest. II. Vtrum essentia disting. &c. 3

Denique quia aliis omnis res existens esset vnum per accidens, & non per se; quod est valde absurdum, & haec rationes probant; etiam existentiam vniuersaliusque accidentis non posse esse rem alterius praedicamenti, sed existentiam; v. g. quantitatis participare eandem rationem quantitatis, cum habeat per se extensionem proportionatam quantitati, & per se pertineat ad complendum effectum formalem quantitatis, & idem est, servata proportione, in qualitate; cuius effectus formalis est quale &c.

Et ideo qui melius sentiunt; etiam supposita distinctione essentiae ab existentia, dicunt existentiam esse quandam actum, seu terminum essentiae eiusdem rationis cum illa. Ita sumitur ex D. Thoma. 9. 5. de potentia, art. 4. ad 5. Vnde absolute dicendum est existentiam substantiae esse substantiam, & accidentis accidens, & modi modum, & rei rem &c. Existentiam autem essentiae vt sic nec esse accidens, nec substantiam, sed abstrahere ab omnibus his; vt in conclusione asseritur.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

AD primum distinguo antecedens, ex vi possibilitatis creatae, concedo; ex vi possibilitatis diuinae, & vt sic, nego; vt patet ex dictis in probatione prima conclusionis, vnde contra solum existentia creata est ratio constituens rem extra causas, quare definitio existentiae vt sic non est recta, si ponatur illa particula in ipsa.

Ad secundum, patet ex iam dictis.

QVÆSTIO II.

Vtrum essentia actualis distinguatur ab existentia à parte rei?

SECTIO I.

Sententia aduersaria proponitur.

Prima sententia asserit existentiam creatam distinguui ab essentia actuali ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus, hanc sententiam defendit Hentichus, P. Albertinus, tom. 2. corollariorum, in praedicamento subst. disp. 2. 9. 1. P. Fonseca 1. tom. met. lib. 4. cap. 2. 9. 4. 5. P. Molina 1. p. 6. art. 3. & 9. 3. art. 4. disp. 2.

1. Probatur primo auctoritate Sancti Hylarij, & Seuerini Boetij, quorum primus 6. de Trinit. affirmat in Deo non esse accidens, sed substantentem veritatem; in creaturis vero esse accidens: sed accidens distinguitur à parte rei ab eo, cuius est accidens; ergo existentia à parte rei distinguitur ab essentia creata; Sanctus vero Boetius lib. de hebdomadis. cap. 5. ait, in his quae sunt, aliud est id quod est, aliud vero ipsum esse; quibus verbis inter essentiam, & existentiam realem constituit distinctionem.

Secundo probatur haec sententia auctoritate D. Thoma. 1. p. 9. 6. art. 3. ad 2. vbi sic ait: Dicendum, quod licet vnum quodque sit bonum, in quantum habet esse, tamen essentia rei creatae non est ipsum esse: & ad 3. Bonitas rei creatae non est ipsi eius essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse eius, vel aliqua perfectio superaddita: Quibus verbis insinuat Angelicus Doctor, essentiam creaturæ ab eius esse, seu ab eius existentia ex natura rei distinguui.

I. P. Tom. II.

stingui; quia quidquid superadditur alteri, distinguitur ab ipso; sed Angelicus Doctor asserit, existentiam creatam superaddi essentiae: ergo existentia creata ex D. Thoma distinguitur ab essentia. Deinde tract. de ente, & essentia, cap. 1. & cap. 5. loquendo de substantiis immaterialibus, haec ait: Huius ergo substantiae quantumvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae, & hoc sic patet: quidquid non est de intellectu essentiae, vel quidditatis, hoc est adueniens extra & faciens compositionem cum essentia, quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur deesse seu factio, possum enim intelligere quod est homo, vel phoenix, & tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura: ergo patet quod aliud est esse ab essentia, vel quidditate: sic D. Thomas, vbi probat existentiam in te distinguui ab essentia.

Tertio probatur auctoritate sacrae Scripturae; nam Exodi. 3. cap. vers. 14. secundum versionem vulgatam habetur: Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos. Et iuxta Caldaicam, & Sancti Ispagnini translationem; Ero qui ero; sic dices Filiis Israel qui erit, misit me ad vos.

Ex quo loco sic argumentor; ut Deus tam Moysi quam filiis Israel attestaretur se esse, qui Moysen mitteret, nullum aliud efficacius signum tradidit, quam identitatem essentiae cum sua existentia, vt ostendunt verba adducta ex sacra pagina: ergo in creatis essentia cum existentia non identificatur realiter: patet consequentia; quia si etiam in creatis daretur identitas inter essentiam, & existentiam, nullum esset signum à Deo exhibitum vt ipsum cognoscerent Filii Israel, neque vlla causa existeret, cur Deus sibi existentiam inter omnia entia appropriaret, distinguitur ergo in creatis essentia secundum rem ab existentia.

Quarto, ratione sic probatur; quae ita se habent inter se, vt vnum ab altero secundum rem possit separari secundum rem; etiam distinguuntur; sed in creatis essentia, & existentia ita se habent: ergo distinguuntur. Probatur minor, illa separantur realiter, quorum vno corrupto, non corrumpitur alterum; sed corrupta existentia, non corrumpitur essentia: ergo separantur realiter. Probatur minor; essentiae rerum sunt necessariae ab aeterno; sed illud, quod est necessarium corrumpi non potest: ergo essentiae rerum non possunt corrumpi. Ex alia parte existentia, quia contingens est, potest destrui: ergo corrupta existentia non corrumpitur essentia.

Confirmatur primo; impossibile est rem aliquam intelligi sub opposito illius, cum quo est idem realiter, sicut homo intelligi non potest sub opposito rationalis; sed essentia entis creati intelligitur sub non esse quod est oppositum esse existentiae: ergo essentia creata non est idem realiter cum existentia.

Confirmatur secundo, idem semper conuenit sibi ipsi; sed de essentia interdum verum est dicere, quod existat, & interdum quod non existat: ergo essentia non est à parte rei sua existentia. Probatur maior, quia omnis propositio essentialis est propositio aeternae veritatis, & absolute vera, siue extrema existant, siue non; sed si essentia creata esset realiter idem cum sua existentia, propositio affirmans identitatem illam, esset essentialis, & minimum identica: ergo esset aeternae veritatis: ergo non posset esse interdum vera & interdum falsa. Minor probatur: quia olim de Adamo seu de eius essentia verum fuit dicere, illam existere, & modo falsum: ergo.

Si respondeas cum Gabriele, & Durando, semper

A 2 esse